



## **Polyanthea Sacra**

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

**Spanner, Andreas**

**Augustae Vindelicorum, 1702**

§. 4. Inferni timor salutaris.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79340](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79340)

licias, honores; ut non tantum hæc omnia, sed omnis boni spem in æternum eis adimat. Ità S. Cyrill. & Albertus M. Lyræ. per radicem intelligit spem redeundi ad statum gratiæ, & meritum. Corn. hic.

### Ex Novo, & Patribus.

*Nunquam ex te fructus nascatur in sempiternum.* Matth. 21. 19. *Es arefacta est continuò ficulnea.* Tales omnes sunt damnati, ficus maledictæ, steriles, eradicatæ, in flammis abjectæ. Nullus ex illis nascetur fructus; nulla, ibi patientia &c. Drexelius de Inferno c. 13. §. 3.

*Pater Abraham! miserere mei.* Luc. 16. 24. Frustrà agis poenitentiam in loco, ubi non est poenitentia locus. Tormenta te cogunt agere poenitentiam, non mentis affectus. S. Chrysof. hom. de divite. Quare misericordiam Dei non in Inferno; sed dum vivis, in Mundo. Ibi enim aquam negat; hic sanguinem dat, ibi nec misericordia guttam; hic fluvios sanguinis ministrat. Sanct. Bonavent. f. 1. de Pass.

Omni tormento atrocius desperatio condemnatos affliget. Non miserebitur ultra Deus, neque tunc audiet poenitentes. Cyprianus de asc. *Non parces oculus meus super te; & non miserebor.* Ezech. 7. 9.

Hi sunt, quibus misericordia jam fecit occasum; qui irrevocabiler in lacum miseriarum descenderunt. S. Laurent. Just. lib. de vita sol. cap. 10.

Quinta.

### Æternitas.

*Mors depascet eas.* Pl. 48. 15. Nam sicut oves lanæ suæ amissione jugiter perseverant: sic in illis semper, sine imminutione substantiæ, invenit, quod poena discruciet. Cassiodorus hic. Depascet ad instar ovium, quæ herbarum radices non evellunt; ut semper ad partum herbæ renascantur. *Obliviscatur ejus misericordia.* Job. 24. 20.

*Ero mors tua, ô mors morsus tuus ero Inferni.* Ol. 13. 14. Quod occidimus, agimus ut penitus non sit. Ex eo enim, quod mordemus, partem abstrahimus, partemque relinquimus. Quia vero in Electis suis funditus Dominus mortem occidit, mors mortis extitit. Quia verò ex Inferno partem abstulit, partem reliquit; non occidit funditus, sed momordit Infernum. Sanct. Gregor. mor. l. 12. c. 4.

Sanctis una dies est, æterna lucis fruitio; & peccatoribus una nox, æterna custodia, & carcer. S. Ephrem. serm. de poenit.

Cupient mori, & fugiet mors ab eis. Erit itaque impiis ex tunc, si dici potest, mors semper vivens, vita semper moriens. Sanct.

Rupertus de operibus Spir. Sanct. cap. 10.

§. IV.

### Inferni timor salutaris.

*Sagitta Domini in me sunt - & terrores Domini militant contra me.* Job. 6. 4. Iustorum mens non solum perpendit, quod tolerat; sed etiam pavet, quod restat. Videt, qualia in hac vita patitur; metuit, nè post hanc graviora patiat. Sanct. Gregorius mor. l. 7. cap. 3.

*Salvum me fac propter misericordiam tuam, quoniam non est in morte qui memor sit tui.* Pl. 6. 5. id est, quia in Inferno non est, qui te laudet. q. d. non tantum timeo Infernum ob tormenta; quantum quod te ibi non sim laudaturus. *In Inferno autem quis confitebitur tibi?* Diez Laudes Dei.

*Vadam ad portas Inferni.* Il. 38. 10. Timor Domini vadit ad Infernum in dimidio dierum; ut non vadat in fine dierum. S. Bonavent. diæt. sal. c. 32.

*Quid ergo faciemus?* Luc. 3. 10. Unde hæc facta est repente tanta conversio? quis volutantes earum asperas mitigavit? quis vulnera immedicabilia curavit? considera, quomodo illos ab ipsis omnino principijs attonitos reddiderit: de gehenna scilicet inferendo sermonem. S. Chrysof. hic.

Quid gehennâ gravius? sed hujus metu nihil utilius: gehennæ namque timor regni nobis offert coronam &c. Sanct. Chrysof. hom. 14. ad pop.

Me miserum! me miserum! quia nondum ad gehennâ igne sum liber: nondum mihi constat, quoniam hinc sim profecturus. B. Ilias Abb. Or. 14.

§. V.

### Inferni memoria, & oblitio.

*Dominus mortificat, & vivificat; deducit ad inferos, & reducit.* 1. Reg. 2. 6. Ut mortificet, ducit ad inferos; & ut vivificet, reducit ab inferis. Omnipotenti enim Deo ad inferos deducere, est, peccatorum corda æternorum cruciatuum consideratione tertere: ei quoque ab inferis reducere, est, terribis poenitentium, atque commissa lugentium, mentes pevitæ indeficientis attollere. Sanct. Gregorius lib. 2. hic.

*Ascendit fumus in via ejus.* Pl. 17. 9. Æternarum poenarum memoriam confert aptè David cum fumo: fumus enim ab igne nascitur, & lacrymas elicit adstantibus. S. Augustinus hic: ascendit fumus ab ira ejus. Ascendit lacrymosa deprecatio poenitentium; cum cognovissent, quod minatur Deus impijs. Pinna Ethol. 8.

*Descendant in Infernum viventes.* Pl. 54. 16. In Infernum descendunt viventes; qui cogitationes suas pessimas expavescunt, & ad melioris institutionis tramitem divinâ gratiâ transferuntur. Sic enim quasi in Infernum viventes descendimus, quando malorum nostrorum cogitatione terremur. Cassiodorus hic.

Sicut